B. N. C
FIRENZE
1139
5

MISCELLANEE
R. BIBLIOTECA NAZ. CENTRALE DI FIRENZE
1139
5

CXXXIX

I.
THYLES
1528.

FRANCISCI
CAESARIS AVGVSTI
MVNIFICENTIA.

1139.5

ANTONII THYLESII COSENTINI LIBELLVS DE COLORIBVS. VBI MVLTA LEGVNTVR PRAETER ALIORVM OPINIONEM.

INDEX.

Albus.	Cap.iiii.	Badius.	cap.x.
Amethyſtinus	cap.xiii.	Bæticus.	cap.v.
Anthracinus.	cap.iii.	Baius.	cap.x.
Aquilus.	cap.iii.	Balius.	cap.x.
Arquatus.	cap.xiii.	Balauſtinus.	cap.xiii.
Argenteus.	ca.xiii.	Blatteus.	cap.viii.
Ater.	cap.iii.	Burrhus.	cap.vii.
Aureus.	cap.xiii.	Buxeus.	cap.xiii.
Auſterus.	cap.xiii.	Byſſinus.	cap.xiii.

Cæſius. cap.ii.
Candidus. cap.iiii.
Candens. cap.iiii.
Canus. cap.iiii.
Ceruinus. cap.xiii.
Cereus. cap.xiii.
Cinereus. cap.xiii.
Cœruleus cap.i.
Coccinus cap.viii.
Coloſſinus cap.xiii.
Concolor cap.xiii.
Cōchyliatus cap.xiii.
Coracinus cap.xiii.
Croceus cap.xi.&.xiii.
Cyaneus cap.i.
Cymatilis cap.xiii.

Decolor cap.xiii.
Diſcolor cap.xiii.

Flauus cap.xi.
Flāmeus cap.xiii.
Flameus cap.xi.
Ferrugineus cap.vi.
Floridus cap.xiii.
Fuluus cap.xi.
Furuus cap.iii.
Fuſcus cap.iii.

Galbinus cap.xiii.
Giluus cap.vii.
Glaucus cap.ii.
Guttatus cap.xiii.

Heluus cap.vii.
Herbidus cap.xiii.
Hiſpanus cap.v.
Hyacinthinus cap.xiii.
Hyſginus cap.xiii.
Hyalinus cap.xiii.

Ianthinus cap.xiii.
Ictericus cap.xiii.

1139.5

Igneus cap.xiii.
Impluuiatus cap.v.
Incertus cap.xiii.
Inſuaſus cap.v.

Leucophæus cap.iiii.
Liuidus cap.iii.
Luridus cap.xi.
Luteus cap.xi.

Maculoſus cap.xiii.
Marinus cap.xiii.
Melinus cap.xiii.
Molochinus cap.xiii.
Murinus cap.xiii.
Muriceus cap.xiii.
Muſtellinus cap.xiii.
Mutinenſis cap.xiii.

Natiuus cap.iiii.&.v.
Niger cap.iii.

Olorinus cap.xiii.
Oſtrinus cap.xiii.

Pallidus cap.xi.
Plumbeus cap.xiii.
Phœniceus cap.x.
Praſinus cap.xii.
Preſſus cap.iii.
Pullus cap.v.
Puniceus cap.x.&.xiii.
Purpureꝰ ca.viii.&.xiii.

Rauus cap.xi.
Robus cap.vii.
Roſeus cap.vii.
Ruber cap.vii.&.viii.
Rubidus cap.vii.
Rubeus cap.vii.
Rufus cap.vii.
Ruſſus cap.vii.
Ruſſeus cap.vii.
Rutilus cap.vii.

Sarranus. cap.xiii.
Sandycinus. cap.xiii.
Sandaracinus.cap.xiii.
Sanguineus. cap.xiii.
Scutulatus. cap.xiii.
Silaceus. cap.xiii.
Sordidus. cap.xiii.
Spumeus. cap.xiii.
Suaſus. cap.xiii.
Suauis. cap.xiii.

Thalaſſinus. cap.xiii.
Tyrius. cap.xiii.

Tyrianthinus. cap.xiii.
Tyriamethyſtus.c.xiii.

Varius. cap.xiii.
Venetus. cap.i.
Verſicolor. cap.xiii.
Violaceus. cap.xiii.
Viridis. cap.xii.
Vitreus. cap.xiii.

Xerampelinus. ca.viii.

ANTONII THYLESII COSENTINI LIBELLVS DE COLORIBVS.

DICAM aliquid de Coloribus in hoc Libello, non quidē, unde cōficiantur, aut quæ ſit eorum Natura, neq; enim pictoribus hæc traduntur, aut philoſophis, ſed tantum Philologis. qui Latini ſermonis elegantiam ſtudioſe inquirunt. ſcribam omnia breuiter, & accurate. ac rerum ipſarū nomina, quo ſtatim Colores intelligantur, ſingulis apponam.

COERVLEVS. CAPVT .I.

EXordiar primum a Cœruleo. quo niſi Natura ipſa maxime gauderet, nūquā profecto deorū hoc domicilium, Cōtinuo Circū Cōplexu Cuncta Coercens, ſpecie tam læta uniuerſum exhilaraſſet. reliquos deinde contexam. Cœruleus igitur dictus quaſi Cœluleus, ut ex uoce ipſa apparet, proprie color eſt Cœli, ſed ſereni. id, quod Ennius reſpiciens Cœli, inquit, Cœrula templa. atq; inde ab omnibus Mare appellatur Cœruleum. refert enim illud eūdem, quē ab ipſo ſuperne accipit, Cœli nitorem. Quare ex an-

tiquis non nulli, ut alterum Homeri opus, propter cædes, de quibus illic Poeta loquitur, colore exornabant Sanguineo, ſic Odyſſeam, ubi Vlyſſis idē maritimos ſcribit errores, membrana cōtegebant Cœrulea. Sed quoniā Cœrulei quædam ſpecies eſt pene nigra, ut quod Indicum dicitur, eoq; olim ueſtitu Grecę mulieres amictę producebant eorum funera, quorum in Cœlum animas migraſſe Cœruleū exiſtimabant, iccirco pro triſti non nunquam capitur. ut apud Virgiliū puppis Cœrulea Charontis, Imberq;, & Sol Cœruleus. Cucumis autem Cœruleus, nam id quoq; legitur, Melopeponem ſignificat, qui inter Cucumeres, multa enim ſunt eorū genera, pulcherrimus eſt. nec tantum Cœrulei uidetur particeps, ſed ipſius quoq; Mūdi gradus introrſum uerſus attenuatos oſtēdit. ut hoc olim de eo luſimus.

Quis neget e Cœlo miſſum? formamq;, coloremq;,
Atq; gradus Cœli, Nectar is atq; refert.

eſt enim ſapore ſuauiſſimo. Sine ulla dubitatione, quod nos Cœruleū, Greci dicunt Cyaneum. in quorum etiam commentariis Lazurion inuenio. Aſcribitur huic generi, qui Venetus olim, nunc uulgo Blauus nuncupatur, color ex factione Circenſi ualde nobilitatus. Fuerunt autem colores in Circo, præter hunc Venetum, Roſeus, Albus, & Praſinus. quibus Auratus poſtea, Purpureus, & Luteus additi ſunt. de iis loco dicemus.

CAESIVS. CAPVT. II.

CAEſius uero ſi dictus eẽt, ut doctiſſimi uiri monumẽtis olim tradiderũt, quaſi Cœlius a Cœlo, eadem foret in Cœlo, & Cæſio diphthongus. conſtat autem eſſe in iis uocibus diuerſam. nihil præterea differret a Cœruleo, quando id, ut oſtendimus, a Cœlo deductũ eſt. differt autem ſine dubio, uel ex ipſius. M. Tullii auctoritate. cuius hæc ſunt uerba in primo de Natura Deorum libro. Cæſios oculos Mineruæ, Cœruleos eſſe Neptuni. Ad hęc, non, quem ad modum legimus Cœlum, Mare, Veſtem, Florem Coeruleum, ita legimus Coelum, Mare, Veſtẽ, Florem Cæſium. ſed oculos tantũ Cæſios, ueteres dixerunt, quibus ineſt fulgor quidam uiſu horrendus. unde exiſtimo, Sicut Cæſar, & Cæſo dicuntur a cædendo, ita Cæſium a cæde nominatum eſſe. ut qui Cæſius ſit, cædem quodam modo oculis minari uideatur, qualis prælio gaudẽs, & cęde, dicitur fuiſſe Minerua. ex quo illa ab antiquis uocata fuit, ut ego arbitror, Cæſia. ſignificat hoc. M. Cicero, ubi de Catilina ait. Notat, & deſignat oculis ad cædem unumquenq; noſtrum. hic, qui oculis ad cędem Senatores deſignabat, Cæſius erat. cuius etiam oculos Salluſtius inſignis hiſtoricus fuiſſe tradidit fœdos, id eſt Cæſios. cuius modi memorię proditum eſt Neronis

quoq; oculos fuiſſe,quod ipſum non leue fuit argu-
mentum tyrannicæ crudelitatis. Quin a Terentio Cæſii hominis facies dicitur cadauerosa,hoc eſt immanis,& ſæuitiam arguens, qualem Sicarii præ ſe ferunt,& carnifices.quãuis alii parum erudite cadauerosam pro ſubliuida expoſuerint.Enim uero Leonis oculos ſiquis inſpexit,qualis ſit hic color, intelligit. micant illi, ut ſtudioſe ipſi prope conſiderauimus,uelut ignis penitus flagrans. Dicitur color hic Græce ab omnibus Glaucus. quod uerbum longo iam uſu Latini Poetæ ſuum fecerunt. Latius tamen patet Glaucus.nam præter oculos Noctuinos,quos,ut auis ipſius Græcum nomen declarat, omnes, Glaucos eſſe confirmant,multa quoq; dicũtur Glauca. ut Vlua paluſtris herba,ut Salix,cuius cũ frondes,tum multo magis cortex in ramis, præſertim anniculis,nitet hoc colore,quem laudat Virgilius ĩ equis.eoſq; noto carmine Glaucos appellat, cõmuni Italorum lingua Baios nominatos.nã Spadices honeſti ab eodẽ Poeta ibidem uocati, illuſtriores ſunt aliquanto,Baii & ipſi , ſed clari,uulgo nuncupati.atq; ii duo aliorũ omniũ maxime probantur colores in equis. Vlua igitur,Salix,quas idẽ Virgilius Glaucas dixit,equi item ſpecies optima,Caſtaneę etiam nucis tunica,aliaq; multa,præter Leonis, ac Noctuę oculos,colorem Glaucum oſtendunt.

Sed ut,unde diſceſſi,redeam,quando Cęſius co-

tor tantum eſt oculorum, uidendum eſt, ne is ſit po/
tius, quem Ariſtoteles Charopon uocat. ſic enim ab
illo dicitur Leo ab oculorũ ſæuitia, quem Catullus
poeta doctiſſimus Cæſium appellat. unde Hercules
cognomẽto dictus fuit Charops, quaſi iracunde in/
tuens. nã Chara græce, ira quoq; dicitur latine. & ex
eodem, ut puto, horrore Charybdis nominata eſt, &
Charon. de quo cum inquit Virgilius, Stant circum
lumina flamma. Cæſium uoluit Senem illum hor/
ribilem, ac dirum ſignificare. quanuis non neſciam,
Charopon ab aliis aliter quoq; exponi.

ATER. CAPVT. III.

HOrribilis etiã color eſt Ater, dictus om/
nino uelut Anthrax, id eſt Carbo. nam
ꝓprie eſt Carbonis extincti. quare ſci/
te, ut omnia, Terentius tam excoctam,
inquit, reddam, atq; Atram, quam eſt Carbo. & inde
a Virgilio cinis dictus eſt Ater, & fauilla Atra. San/
guis præterea Caloris, atq; Coloris ignei particeps,
effuſus, ac frigefactus amiſſo rubore, tanquam in
Carbonem mutatus, Ater ab omnibus uocatur. Di/
citur et Mors Atra, quia cadauer extincto calore illo
uitali, quo corpus alitur, Atrum relinquitur, ut eſt
Carbo. quæ mihi perquã elegãs uidetur ſimilitudo.
Quid quod dies Atri eadem de cauſa dicti fuerunt?

qui enim luctum afferebant, Carbonibus, ut contra dies læti ſcrupis ſignabātur Gypſeis, ex quo Horatius ait, Creta, an Carbōne notandi. Differt in hoc a colore Nigro, quod, ut omnis Ater, eſt Niger, ſic non omnis Niger, eſt Ater. horrendus eſt hic, triſtis, uiſu iniucundus, lugentibus accommodatus. ille contra nō nūq̄ lepidus, ac uenuſtus. ut humani oculi ſunt cōplures, quos nemo Atros diceret, ſed Nigros. iiſq; tamen nihil maiori cum uoluptate ſpectamus. Vocabatur aūt Ater ab antiquis, etiam Anthracinus, idemq; Furuus. Quibus longe minus ſunt nigri, Liuidus, & Fuſcus. alter ex graui corporis ictu proueniens deformitatem habet. unde Inuidi aliorū bonis, uelut uerberibus laniati, & iccirco exangues, Liuidi nuncupantur. alter nō inſuauis, & in homine perſæpe laudatur. Qui tamen ſi modum excedit, ac maxime Fuſcus eſt, & quaſi nigreſcit, Preſſus dicitur. ut quæ aliquandiu ſub prælo ueſtis preſſa, nimium coloratur. legimus etiā equi colorem Preſſum. Secus uero, faſciolæ Coloriſcæ dictæ fuerunt, quæ non ſaturatæ, ſed uix colore aliquo illitæ e coronis dependebant. eſt autem forma diminutiua, ut Lyciſca, Syriſca. Aquilum ueteres hunc Fuſcum a colore aquæ uocarūt. qui inter Nigrum eſt, & Album. id, quod Plato etiam docet.

ALBVS. CAPVT. IIII.

EST autẽ Albus color puriſſimus, quocirca ad animum tranſlatus pro ſyncero capitur. is nullibi, quam in niue, clarior eſt, quã tamen Atram eſſe Anaxagoras affirmabat. ſumitur pro Pallido. unde timor Albus legitur, & metu exalbuit. quã ob rem Romanę mulieres quondam funera ſequebantur in ueſte Alba, tanquam mortui, quem efferebant, colorem referrent. Elucet Candidus, atq; oculos delectat. At Candens non hoc tantum eſt, ſed pro ignito accipitur. itaq; Veneris humeros recte dixeris Candidos, uel Candentes, ferrum, quod a Marito tunditur, non Candidum eſt, ſed Candens. Eiuſdem generis eſt Canus. qui, & ſi ad alia trãffertur, proprie tamen eſt capilli, & barbę ſenilis. naſcitur equus non nunquam Canus, atq; Albineus, non idem, qui & Candidus, aut Albus, ſed huius non expers. Eſt & color Albi, Nigriq; particeps, a Græcis inde Leucophæos, uoce iam a noſtris uſurpata, uocatus. genus eſt id coloris Natiui, non enim inficitur, ſed ouis ipſa ſic Natura quaſi pingitur. hũc Sibi Secta Sacerdotum Sumpſit Sanctiſſima, qui nulla tunica linea penitus induti, pro cingulo reſte ſe uinciunt nodoſa, ac ligneis tantum calciamentis uſi, precario uictum quæritant.

PVLLVS. CAPVT. V.

QValis uero ſit Pullus, oſtendit Terræ ipſius color. maior enim illius pars Pulla eſt. itaq; quoniam ea mortuis iniicitur, uoluerunt ueteres, ut qui lugerent, Pullis Pallis, terrę ſimilibus, eſſent amicti. Dorſum etiam Leporinum proprie eſt Pullum, quam ob rem Naturæ ipſius doctus magiſterio Terram recentem ab aratro metu pauidus quærit ille. ibiq; non nunquam ſtratus, nullaq; re abditus, Venatores, Caneſq; ipſos prętereũtes, ac ſagaciter prope omnia perquirentes, coloris tantum beneficio ſæpiſſime latet. &, ut in quodam epigrammate de lepore diximus,

Quem fuga non rapit ore canũ, non occulit umbra,
Concolor inmotum ſub Ioue Terra tegit.

Nulla arte, aut impenſa color hic paratur. Natura enim ſic prouenit, unde Natiuus quoq; uocatus eſt, diuerſus ab eo, de quo locuti ſumus. Iamq; nos Coſentini, apud quos multa antiquitatis ueſtigia apparent, ſiquidem & Præficæ, ut quondã, mortuos laudant, & Silicernium in uſu eſt, ac nemo ſine ſuorum oſculo ſepelitur, utriuſq; ſexus ueſtimẽtum funebre, Natiuum dicimus. quãuis Atrum ſit illud, & in mulieribus matrimonio iunctis Cyaneum, quo Græcę, ut dictum eſt, olim in funere utebantur. Idem quoq; Hiſpanus uocatus eſt, & Bęticus, etiam Mutinenſis.

in iis enim locis id genus lanæ uidetur. Eſt autem Pullus,nomen,ut reor,diminutiuum a Puro,uelut a Rara ueſtimenti genere fit Ralla,ab Opera Opella, a Terra etiã Tellus.ut lana Pulla ſit pura,nullo alio colore infecta,ſed ſuo tantum,& ingenuo contenta.

Colorias huiuſmodi ueſtes per ſe coloratas aliqui dixerunt.poſuit hanc uocem Auguſtus in ſuo teſta/ mento.ubi hęc uerba legebantur.Gauſapes,Lodices Purpureas,& Colorias meas.Atq; indidẽ, ut ſentio, dicti ſunt Pulli equorum,aliarumq; pecudum,quaſi puri,nulla adhuc libidine,aut labore uiolati. Sũt. huic Pullo ſimillimi color Impluuiatus,dictus uelut fumato ſtillicidio implutus,& Suaſus, qui Inſuaſus quoq; uocatus lutũ refert.eſt autem Suaſus e Stilli/ cidio etiam factus fumeſo,in ueſtimẽto albo. quare haud dubitanter non alius eſt, quam Impluuiatus. quãuis aliqui tradiderint colorem omnem, qui fiat inficiendo,ſuaſum dici , quod illi quodam modo ſit perſuaſum,in alium quẽuis colorẽ ex Albo tranſire.

FERRVGINEVS. CAPVT. VI.

FErrum longo ſitu rubiginoſum facile oſtendit colorem ab ipſo appellatum Ferrugineum,agit enim is,id eſt refert colorem Ferri.quin & filamenta, qui/ bus ſæpe Conopęum,& multæ præterea ueſtes lineę

circum ſuuntur, Ferruginē dicunt infectores. tunica etiam nuclei Pinei lanugine quadam puluerulenta, Ferruginea eſt. Erat is quoq; lugentium color: itaq; capitur non nunquam & ipſe pro funeſto: atq; ea de cauſa Hyacinthi dicti fuerūt a Virgilio Ferruginei, quaſi lugubres. quia puerum, ut eſt in fabulis, caſu interfectum Apollo diu luxit. atq; in eius foliis uelut epitaphium, in ſui doloris perpetuum monumentū inſcripſit. non quia uere floris color ſit Ferrugineus. eſt enim is, in quem mutatum ferunt aduleſcentulū, Purpureus. De Hyacintho in litteratum floſculum transformato fecimus hoc:

Nil opus ellogio, redimire aut flore ſepulchrum.
Ipſe ſibi flos eſt, ellogiumq; puer.

Eodem modo Cœlum uocatur Ferrugineū, hoc eſt nubilum, & triſte. atq; apud eundem Virgilium, Sol caput ſuum nitidum in morte Cæſaris texit Ferrugine, quaſi colorem ſe induit lugenti aptum. ut tanti uiri cædē Sol ipſe lamentari uideretur. nec alia ratione Charontis nauiculam dixit Ferrugineam, quā quoniam ea una, loco Sandapilæ, mortuos omnes Veſpillo indefeſſus tranſuectat.

RVFVS. CAPVT. VII.

NOn eundem eſſe Rufum, atq; Rubrū, ex hoc intelligi poteſt, quod recte dicitur ſanguis Ruber, Rufus non recte.

rurſus barbam, & capillũ Aenobarbi, Rubrũ uete-
res non dixerunt, ſed modo Ruſum, Rutilũ modo,
qui idẽ eſt. quin & canes immolabant Romani ſa-
cerdotes, nunquam Rubras uocatas, ſed quas nunc
Rufas, nunc Rutilas appellabant, ad placandum
Caniculæ ſidus, frugibus inimicum. ex quo manife-
ſtum eſt, Rufum, Rutilumq; eũdem eſſe. id, quod ex
antiquis etiam aliqui docent. E canis igitur colore
ſatis noto, atq; e multorum barba, & capillo, cuiuſmodi
ſit color Rufus apparet. Hunc ruſtici in armen-
tis Robum, Giluumq; olim dixerunt, atq; etiam
Heluum. ut uini genus eſt quoddam inter Rufum,
Albumq; nulli non cognitũ. quod quoniam Ceraſi
colorem refert duracini, Ceraſolum aliqui dicunt
Italiæ populi. Sed & Burrhã iidem appellabant
uitulã, quæ roſtro eſſet Rufo. At homo Burrhus eſt,
qui pranſus, cibo, & potione rubet. hunc aliqui etiã
Rubidum uocant. Inuenitur & Rubeus, & ſi ali-
qui non indocti uocem non eſſe latinam monuerint.
cum tamen apud auctores non malos ex uuis nigris
fieri uinũ forte legatur, e Rubeis autem ſuaue. nec nõ
bos Rubeus probetur. Verbum eſt omnino ruſticũ,
nec prorſus idem color eſt, qui & Ruber, ſed ad eum
proxime accedit. Quid, quod Ruſſeus etiam le-
gitur? negat quidam e uetuſtis grãmaticis dici poſſe,
Ruſſum iubet, ex quo pannus eſt Ruſſatus. utrunq;
certe latinum eſt, ſed Aratoris magis, quam Orato-

ris.habent enim & ſua ũerba,quĩ ruri viuunt Vrba/
nis nõ nullis inaudita. Ruſſeum equum dicunt illi,
qui non plane Ruſſus eſt,ſed aliquãto minus rubo/
ris habẽs idem fere uidetur. hic autem,quoniã quaſi
cruẽtato ſimilis eſt,hodie ſaginatus,quaſi ſanguina/
tus uulgo nominatur,quãuis huius nominis nonnũ/
quam equi albeſcant.

RVBER. CAPVT. VIII.

RVbrum maxime indicat animantium
ſanguis,&, quo lana inficitur, Coccus.
granum id a noſtris uocatur.unde ue/
ſtis eſt Coccina,nulli ignota.oſtẽtat ta/
men hunc colorẽ præ cæteris rebus liquor Purpurę.
cuius adeo gratus eſt color,ut ſiquid paululum ha/
beat ruboris,modo uiſu ſit illud non iniucundum,
Purpureum ſæpe dicatur,ut ſunt Violę,& uaria flo/
rum genera.quin & Candidus,is enim quoque ocu/
los remoratur,a Poetis uocatur non nunquam Pur/
pureus.nam & Olores Purpureos dixit Horatius,
& Niuem ipſam Purpureã Albinouanus. Inue/
nitur & Blatteus poſitus pro Purpureo. Nõ prę/
tereundus eſt color Viteis frondibus areſactis ſimil/
limus. & iccirco Xerampelinus Græce dictus.uſur/
pant hanc uocẽ latini.certũ enim Vitis genus adul/
to iam autumno pampinis rubet uelut cruentatis.

unde nomen colori inditum eſt. Roſa ab omnibus nunc dicitur Sicca. Atrabapticas ueſtes eo colore infectas, quoniam in eo Purpura nigreſceret, aliqui appellauerunt. de ea re fabellā excogitatam his uerſiculis fui complexus.

Cæderet immeritæ Vitis dum crura, cecidit
Ipſe ſua, & dira cæde Lycurgus obit.
Vnde prius uiridis, rubet hoſtis ſparſa cruore
Illæſo Vitis ſtipite, & ulta nefas.

ROSEVS. CAPVT. IX.

IVcundiſſimus omnium eſt color Roſeus. atq; humano corpori, ſi id formoſum eſt, quā ſimillimus. itaq; os, ceruicem, papillas, digitos Roſeos poetę dicunt, id eſt Cādidos, rubore ſanguinis penitus diffuſo cum uenuſtate. iſq; color proprie eſt, quem cōmunis ſermo Incarnatū uocat. refert enim maxime omnium Pueri nitorem, ac Virginis Roſa. non Mileſiā intelligo. quę nimis Purpurea ardere quodam modo uidetur, nec rurſus Albam, ſed quæ utrinq; decorem accepit. & quia corpus hominis imitatur, quod lingua uernacula carnē appellat, eadē id genus Roſarum Incarnatum nominauit. Cicero colorem hunc Suauem dixit.

PVNICEVS. CAPVT. X.

A Phœnicibꝰ color Phœniceus,Puniceus quoq; dictus, flagrat, uelut Viola Flā/mea.atq; ita a multis olim Purpura uocata fuit Violacea. hodie pene nomen ſeruat.nā Paonacius,quaſi Puniceus dicitur,& ſi ali/qui uocem hanc uernaculam a Pauonis colore factā uolunt Phœniceum uero alium ab hoc , Palma, quæ Phœnix Gręce eſt, a ſe nominauit.color hic in equo,ut iam diximus, maxime laudatur. qui modo Spadiceus,Baius modo , Badius etiam , & Balius, uariis nominibus uocatus eſt.termites enim Palma/rum cū fructu Spadices,& Baia Græci dicunt.unde equus ab Equiſonibus appellatur Baius.

FVLVVS. CAPVT. XI.

EX omnibus maxime lucet Fuluus.quē multa iactant,Orichalcum imprimis, Aurum,ipſæq; etiam Stellæ.

Quas nō extigūt uēti,nō nymbꝰ aquoſa
Nube cadens,celſa ſemper ſed luce coruſcant.

quare Tibullus proprie ſidera Fulua appellauit.Eſt & aureolæ ſpecies arenæ. quam Fuluam dixit Vir/gilius,& genus quoddā Aquilę ab Ariſtotele maxi/me celebratum,colore etiam Fuluo. Qui ſi obtu/

ſus quodam modo eſt, atque obſcuratus, uocatur Rauus.iamq; ſic Horatius lupam appellauit, cuius colorem noto magis uerbo plæriq; omnes Fuluum dixerũt.tradunt aliq Rauos oculos,quos in Cane,& Ariete laudat.M.Varro,inter Cęſios eſſe,& Flauos.

Ornat ſępe color hic Flauus Virginũ,ac Puerorꝝ capita.atq; in maturis frugibus ſemꝑ elucet, nec nõ pro pulchro frequẽter poſitum uidemus. At Luteum nihil æque oſtentat,ac flos Calthæ,& Geniſtę, Ouiq; etiam uitellus. Croceo eſt hic perquã ſimilis,ſed lucidior aliquãto,ab antiquis Flameus quoq; dictus,qm̃ eo Flaminis uxor Flaminica utebatur.

Poteſt hoc loco Pallidus poni,ac Luridus.mortui color eſt hic horribilis.ipſiuſq; Mortis, ut Poetæ dicunt,& Plutonis.Ille nõ nunquam,uel gratus in homine,atq; amabilis.

VIRIDIS. CAPVT. XII.

CViuſmodi ſit color Viridis,ſuppeditat exemplum herbarum multitudo.quarum tanta eſt uarietas,ut,cum earum uis ſit infinita, nulla tamen æque, atq; ex iis aliqua,prorſus uireat.ſed omnes inter ſe diſcolores uideantur.id,quod in reliquis omnibus coloribus apparet.quare,ſi minus ẽ hic Albus,aut Niger, quã ille,non iccirco nomen Albi amittit,aut Nigri.

ex auibus autē inſignis eſt hoc colore Pſittacus, auis inde a quibuſdam Viridis appellata.&,qua nihil lętius eſt, Smaragdus. Maxime quoq; lucet uiriditas in genere quodā Scarabęi. cuius ipſe meminit Ariſtoteles. Is quoniā dorſum habet nota quadam aureola ſic litum, atq; illuſtratum, ut Lunæ ſpeciē exiguæ ſuſtinere uideatur, nō inuenuſte a nobis Coſentinis Equus Lunę nuncupatur. fecimus hoc iampridem de Scarabęis iocoſum epigramma.

Paruula Siſyphio gens condemnata labori
  Quas Figula ipſa facit, fertq; refertq; pilas.
Pars nigra, ut Aethiopū manus uſta calorib⁹ horret.
  Regia pars uiridi picta colore nitet.
Parua micat cuius dorſo nota, magna minutis
  Si conferre licet, Luna puſilla uelut.
Dixit Equum Lunę hinc cognomine Brutia Tellus.
  Quod ſi bellator ſic nituiſſet Equus,
Illo capta foret non una Semiramis, eſſent
  Centauri & plures, quam genus eſt Hominum.

Egregius eſt inter colores, qui uirent, Praſinus, multorum carminibus collaudatus. nunc uiride porrum ab Infectoribus uocatur.

EPILOGVS. CAPVT. XIII.

LIbet Epilogum addere, Varietatẽ propriè de Coloribus dici. ex quo ueſtis Varia, Diſcolor eſt. diuerſiſq; coloribus conſuta. Diuiſam nunc omnes uocant. & equus Varius nõ totus uel Candidus, uel Niger, ſed his, aliiſue coloribus diſtinctus. ſic & Cœlũ Varium. cuius partes ſerenæ interlucent, partes nubilæ triſtantur. Atq; alium ſæpe pro alio, ſi inter eos affinitas eſt, colorem uſurpant poetæ. ut lumen Mineruę Flauũ dixit Virgilius pro Glauco, quo uenuſtatem quoq; eſſe in oculis Deæ oſtenderet. quem ad modum amictum Tyberis, cuius aquã alibi Flauam appellauit, Glaucũ idem eſſe cecinit. eſt.n. inter hos colores ſimilitudo, & quaſi uicinitas. ſic, ut iam dictũ eſt, lbu s pro Pallido, ac Cœruleus pro ſubuiridi poetice ponitur, proq; etiam ſubnigro. multiq; præterea inuicem cedunt. Ex omnibus uero maxime contrarii ſunt Albus, & Niger. quare nihil æque apparet, atq; in Alba Papyro Atramentum. Vtebãtur ueteres, quod nunc etiam ſeruatur, cum librorum titulos notarent, colore Puniceo in honorem, memoriamq; Phœnicum, quos litterarum tradunt fuiſſe inuentores. Sunt etiã e coloribus aliqui Incerti, qui intuentiũ oculos fallunt, ut eſt Cœli nitor. quod, cum tenebroſum quidam autument, illuſtratum ra/

diis Solaribus Cyaneum uidetur.ut Iris,ut quas ſu/ſpicimus Nubes non nunquam igneſcere, ut Mare ipſum,quod præter Cœruleum,modo Atrũ horret, modo uireſcit,interdum etiam Flauum,Rauumq; ſe oſtendit,aut ſpecie quadam Purpuraſcit Violacea. Non idem quoq; decor in collo cernitur Columbæ & Pauonis.unde aues ſæpe dicuntur Verſicolores. quale eſt Serici genus ſatis notum.quod e diuerſis partibus ſpectanti nõ eundem offert coloris leporẽ. Diſcolor autem non modo pro Vario ſumitur, ſed ſiquid eundem colorem,uelut radios quoſdã diffun/dit,ut Diſcolor unde auri per ramos aura refulſit.at Decolor is dicit̃,ex cuius ore color defluxit,& exan/guis relictus eſt. atq; iccirco pro deformi capitur & Nigro,ut Decolor Indus.nam Cõcolorem eiuſdem eſſe coloris nemo ignorat. Ad hæc colores bifariã diuiduntur.nam Auſteri uocabantur reliqui omnes, præter Minium,Purpuriſſum,Cinnabarim,Arme/niũ,Chryſocollam,Indicum. quos floridos dixerũt. ſed hęc Pictores uideant.quibus olim in uſu tantum erat Melinus color Candidus.Silaceus,q inter Cœ/ruleos nominatur,Sinopis genus rubricæ, & Atra/mentũ. Quidam etiã Suaues dicti ſunt,ut Flauus, Purpureus, Candidus, imprimis Roſeus. humanis autem oculis nihil uenuſti hominis colore Suauius uidetur.ineſſe uero coloribus Suauitatẽ, præterquã quod ſenſus ipſi iudicãt,egregii Latinitatis auctores

oſtendunt,M.Cicero, & Virgilius Maro. quorum alter Suauem hominis colorē dixit.ab altero Suaue rubens Hyacinthus uocatus eſt. Alii Triſtes ſũt, & Lugubres.uelut Atrum eſſe diximus, Pullũ, Ferrugineum,& Cœrulei ſpeciem. Quin ut uidetur, ſic Sordidi etiam aliqui dicti ſunt,ut, de quibus locuti ſumus,Suaſus,& Impluuiatus.iis.n.Rei,ut miſericordiam apud Iudices captarent,ſe deturpabāt. talem quoq; fuiſſe ueſtitum Charontis oſtendit,cum inquit Virgilius,Sordidus ex humeris nodo pendebat amictus. Iam uero Colores partim nominati ſunt a locis,ut Puniceus,Tyrius,idemq; Sarranus. Purpurei ſunt hi.Indicũ,Sinopis,Melinus, Hiſpanus,Bæticus,Mutinenſis.de quibus dictum eſt. Coloſſinus a Coloſſo urbe in Troade.ubi lana inficitur florem referens Cyclamini.quod tum Rapum,tum Terrę malum,ac Tuber uocatur.a nobis Coſentinis Terrigena.fulget flos ille inter candorē & purpurā.

Partim a Metallis nuncupati ſunt.ut Plumbeus, Ferrugineus,Argenteus,Aureus. Sed a Plantis nomen acceperunt complures.ut præter Phœniceũ, id eſt Palmeum,ac Xerampelinum, Buxeus eſt.qui pro Pallido ſumitur.pallet enim præ cæteris Buxea materia.Roſeus præterea,Hyacinthinus,ĩ quo purpura lucet ſubnigra. Hyſginus ab Hyſge herba, Coccinus,& utriq; ſimilis Sandycinus, Violaceus, qui & Ianthinus.ex quo Tyrianthinus, e Purpura,

ut nomen indicat, factus, & Viola. additur his Croceus. unde Crocotula ueſtis genus, ut, a Caltha Calthula, a Byſſo lini genere tenuiſſimo, Byſſina. erantq; hæ omnes Luteæ. ſed Byſſina pene, ut aurum, fulgebat. Fuit in uſu ueſtis a Citri ſimilitudine, Citroſa dicta. & quędã coloris candidi, Papauerata a Lucilio Satyrico, cum eã, ut probrum, Torquato obiecisſet, nominata. iuenitur quoq; Galbina ueſtis Alba a Galbano. a Maluæ item floſculo color eſt Molochinus, ut a Punicæ etiam flore Balauſtinus. uirentis quoq; Porri folia nomen ex ſe, ut iam diximus, fecerunt Praſinum. Multi prætera ab animalibus uocati ſũt. ut Ceruinus, Murinus. atq; hi colores ſũt in equo notiſſimi. Muſtellinus, de quo Terentius. Ictericus, q Regio morbo laborat, a colore Galguli. quam Gręci auem Icteron dicunt. Luteus eſt hic admodum. Cycnęus, idẽq; latine Olorinus, id eſt Candidus, ut cõtra Coracinus, Niger. aſcribuntur & his Oſtrinus, Conchyliatus, Muriceus, Purpureus, ab Hercule, ut fabulantur, primum inuentus. feci paucos de ea re Choriambos, quos uiſum eſt hic ponere.

Errat dum bibulis Herculeus littoribus canis,
Nantem forte uidet Spumifero gurgite Purpuram.
Aggreſſuſq; ferox corripuit uiſcera mordicus.
Mox paſtus rediit cõmaculans gramina ſanguine.
Quẽ Tyro ſimul ac pulchra uidet. nãq; erat hęc co(mes.
Prolutum roſeis candida ſic ora coloribus,

Alcidem alloquitur. Non alio muñere te ſequar,
Quam ſi picta mihi palla rubens huic ſimilis datur.
Quod nunc per ſpolium terrificæ te rogo Belluæ,
Inuictæq; manus robora, per tela ſonantia;
Non ignota auibus nubila trans alta fugacibus.
Da ferre hęc. poteris nã omnia. nec te tenuit Maris
Circunfuſa palus, Heſperidum quo minus aurea
Ferres munera. Sic brachiolis fata reuinciens
Robuſta implicuit nympha procax colla tenaciter,
Paret uictus amans blandiciis Amphitrionius.
Nactuſq; exanimẽ, quã expuerat iã Mare, purpurã,
Infecit Tyrio primus ouem Murice candidam.

A rebus deniq; diuerſis nõ nulli colores dicti ſũt, ut Igneus, Flãmeus. ſic orbis, nitorq; Solis ab Attio & Catullo appellatus eſt. quare color Solis, & qa ita apparet, & ex illoꝝ auctoritate Flãmeus proprie põt uocari. a Cœlo, ut iam principio dixi, Cœruleus eſt, Marinus & Thalaſſinus a Mari, ab unda Cymatilis & Cymatius. ideq; eſt in iis omnibus color. quin etiã ab arcu pluuiarũ nuncio, Arquatus eſt nominatus. Hyalinus, q & Vitreus. Niueus, Marmoreus, Lacteꝰ, Eburneus. quo dictus fuit cognomẽto ꝑpter cãdorẽ corporis Fabius qdã. Amethyſtinus pręterea, ex quo Tyriamethyſtus in uſu fuit olim. Sãdaracinus, Flã-meus eſt is. qbus etiã Impluuiatus, Sanguineus, atq; Herbidus adduntur. Cereus itẽ, Piceus, Cinereus, ut Cardui genus eſculenti a colorẽ, Cinara uocatum.

In hoc autẽ Carduo eſſe etiam aliquod ipſius Virtutis ſimulacrum, pauci, quos hic ſubieci, declarant uerſiculi.

Vt uallatus acutis Coelo miſſa ſereno
Circũ frondibus horret, Sic uirtus Puer aſpris
Intus ſed tamen abdit Ambit ſentibus ipſam,
Dulcẽ Carduus eſcam; Iucundã Ambroſiã Diis.

A ſpumis quoq; & Maculis, Spumeus eſt & Maculoſus, atq; ii equorum ſunt etiam colores. ut a Guttis Guttatus, cuiuſmodi præter equos, canes uidetur nõ nulli ſagaces: quos a muſcarũ ſimilitudine Muſcatos dicunt. uelut equus Scutulatus a Scutulis, quem ab exiguorum pomorum ſpecie Pomulatũ uocant Equiſones, &, ſi orbes ſunt latiuſculi, Rotatum.

Videtur ad extremũ Natura amare Coeruleũ. eã enim, ut initio diximus, Mare colluſtrauit, ac Coelũ ipſum. quod nunquam Stellis fulgentibus ornaſſet, niſi eadem quoq; Fuluo maxime delectaretur. Sed quia uiciſſim uidemus Terram, aut uiriditate cõueſtiri, aut eo ornatu ſpoliatam, Pullam eſſe, aut etiam candore niueo cõtegi, Viridem, pullum, atq; Albũ, Naturæ gratum eſſe, nemo poteſt dubitare. Nigra inſuper eſt Nox, Nigri ſunt Indi, atq; Aethiopes, gaudet igitur rerum Mater colore Nigro. quam a Rubro nihil abhorrere, Hominum, ac cæterarum animantium ſanguis facile declarat.

FINIS.

ANTONII THYLESII ARANEOLA.

HAEret Araneolæ laxis dum caſſibus errans
Muſca leuis, conata fugam ſeſe magis ultro
Implicat, & quatiens alas ſtridore coruſcat.
Effugium dumq; ſcrutatur, labitur ecce
Illico Araneola, opperiens ſi præda feriret
Reticulum, tenui quod ſtamine neuerat ipſa,
Sub Salice, & trepidã ſæuo rapit improba morſu.
Illa iterũ fremitu reſonans, pedibuſq; repugnans
Concutitur. ſed nulla datur fuga, Forcipe nanq;
Preſſit atrox, urgetq; tenax, perq; omnia uerſat.
Ac tandem magno luctamine uicta puſillam
Expirans animam moritur miſerabilis ales.
Callida ſed quam ſit cœcas componere fraudes,
Omnibus inq; locis innectere tenuia fila,
Eſt operępretium cognoſcere. Rixa puellæ
Mæoniæ uulgata diu eſt. quis Palladis ira,
Seu liuore magis mutatam neſcit, amaret
Infelix dum ſe Cœleſtibus æquiparare?
Siue in amore ſoror fratris depr enſa Phalangis
Caſta Deę furtim templa inceſtauit Arachne.
Appula nunc etiam puer unde per oppida paſſim
Multipedem repit faciem contractus in atram.
Iamq; uetus retinent metuenda Phalangia nomen.

Quis tñ ipſa nouum dedit urbs quoq; priſca Tarẽti.
    Principio, ignaros rerum ne occulta morentur,
Quicquid id eſt, per quod delabitur, aut ſpuit ore,
Aut denſo exterius ceu glomere fila reuoluit.
    Quod ſimulac lucem ſuſpexit Araneus ipſum
Emittit, uictumq; ſibi molitur, & uſq;
Nectit fila leui deiectus corpora ſaltu.
Itq;, reditq; citus. ſurſum modo repit, & altum
Iam tenet. hinc rurſus ſuſpenſus decidit, & iam
Mille uiis æquo diſcrimine texuit orbem.
    Tum malus inſidias ſub opacis frondibus abdit.
Ne ſi forte oculis uolucrum leue cerneret agmen
Exitium, aufugeret tremefactum corda pauore.
Sic poſitis tandem laqueis, procul occuluit ſe.
Proſpectatq;, plagis ſiquid nouus incidit auceps.
    Ecce feri Culices, Muſcæq;, atq; id genus omne
Alituũ, uolat imprudens, & retibus ultro
Infertur, laxatq; ſinus, atq; omnia miſcet.
    E ſpecula intentus raptim ſeſe iacit alta
Explorator, & implicitas has mordicus, atq; has
Diripit. ac circum lictor ligat. atq; ita aceruat
Omnia uenatu aſſiduo, uictumq; reponit.
    Sed ne forte leues uolucres, infirmaq; tantum
Hunc captare putes, triſtem ſubtegmina Aſilum
Denſa tenent, ſæuitq; furens detentus. at illum
Inglutie accurrens Venator conficit atra.
    Quid referam Fucos, & quicquid uirus amara

Geſtat acu?quoties captum fremit.ac uelut ipſos
Damnatos factę ſuſpendit Aranea cędis.
Spectaturq; diu paſſim,ſpolia ampla,cadauer.
Voce minans quãuis immane ſuperbiat armis.
Quodq; uenenatis fert telis,uulnus inurat.
Quin tantis etiam ſtimulis furit ictus edendi,
Inuolet apricos ut in ipſos ſæpe Lacertos.
Frenet & incaſſum torquentes terga,nec ullis
Saltibus excuſſus,cęcis premat undiq; uinclis.
Nec mora fit,raptet quin ſubterraneus illos,
Cacus ut auerſos retrahebat in antra iuuencos.

EIVSDEM CICINDELA.

TAntula nocte uolãs uolucris micat aere tãtũ,
Ardenti ſimilis ſcintillæ.quam puer olim
Aequales inter metuebam tangere,ne me
Vreret,infirma eſt ętas cum neſcia rerum.
Quæ quoniam noctu lucet cognomẽ adepta eſt.
Aut incenſa nitet quoniam,uelut ignea lampas,
Cauda.ſit una licet,nomen non eſt tamen unum.
Hęc modo ſumma petens cõmotis emicat alis.
Rurſus & adductis fuluum decus aurea condit.
Ardentiq; procul fugiens leuis igne coruſcat.
Et,quocunq; uolat,ſecum ſua lumina geſtat.
Lumina,quæ tenebras arcent,quę flamina temnũt.
Nunc,uelut obſequioſa uidentibus,aduolat, atq;

Fit magis,atq; propinqua magis.ſcintillat & ante
Ora,minuta uelut candentis fruſtula ferri
Verbere quę aſſiduo fornacibus excutiuntur.
Ex quo rapta Ioui Stygio Proſerpina,nanq;
Vna fuit comitũ,ueterem mutata figuram,
Quęrit adhuc dominæ ueſtigia,& omnia luſtrat.
Omniparens Natura,Hominũ,rerũq; creatrix,
Difficilis,Facilis,Similis tibi,Diſſimiliſq;
Nulligena,Indefeſſa,Ferax,te pulchrior ipſa,
Solaq; quę tecum certas,te & uicta reuincis.
Omnia me nimis afficiunt,quo lumina cunq;
Verto libens.nihil eſt non mirũ,Dędala quod tu
Effingis,rebuſq; animam ſimul omnibus afflas.
Vnde uigent,quęcunq; uidentur,pabula,frondes,
Et genus aligerum,pecudeſq;,& ſquamea turba.

Impreſſum Venetiis opera Bernardini Vitalis
Veneti Menſe Iunio M.D.XXVIII.

Cum Priuilegio.

Z
1133.5
99 96223

133 5

MC